

127

LIBRI TERTII
TITVLVS PRIMVS,

De Impotentia Coëundi, & Generandi.

S V M M A R I V M.

- 1 Ad Matrimonii validitatem requiritur potentia coëundi.
- 2 Coniugio regulariter est ineptus, qui debitum reddere nequit.
- 3 Ad Matrimonii validitatem requiritur, ut vir possit emittere semen.
- 4 Matrimonium separatur ob impotentiam coëundi.
- 5 Pro de coëundi potentia dubitator, ad Medicorum iudicium recurritur.
- 6 Impotentia coëundi quid.
- 7 Coitus quid.
- 8 Impotentia generandi quid.
- 9 Impotentia tam coëundi, quam generandi plures habet causas.
- 10 Impotentia coëundi ex quibus causis dependeat.
- 11 Impotentia coëundi vel ex causa naturali, vel ex causa accidentali.
- 12 Naturalis causae Impotentiae consideratio.
- 13 Accidentalis causa vel intrinseca, vel extrinseca.
- 14 Causae intrinsecae accidentalis consideratio.
- 15 Causae extrinsecae accidentalis consideratio.
- 16 Animi passiones vehementes inter causas impotentiae coëundi connumerantur.
- 17 Coitus impotentia accidit in viro interdum mulieris culpa.
- 18 Gravius peccatum est coire cum deformi, quam cum formosa.
- 19 Pulchritudo est incitamentum ad libidinem.
- 20 Aliae causae impotentiae coëundi ex parte mulieris.
- 21 Impotentia viro Medica reparabilis non dissolvit matrimonium.
- 22 Causae impotentiae coëundi in Muliere.
- 23 Generandi impotentia habet plures causas.
- 24 Generandi spes ex coitu est.
- 25 Coitus à natura ob generationem, & speciei propagationem inventus.
- 26 Causae impediens generationem ex parte mulieris sunt propemodum infinitae.
- 27 Semen in muliere peccare potest, ut in viro.
- 28 Causae generationem impediens ex parte utriusque Coniugis.
- 29 Coniugum simulatae impediunt generationem.
- 30 Generationem impedit nimia agitatio feminae in ipso actu coëundi.

De causis Impotentiae tam coëundi, quam generandi.

Q V A E S T I O I.

Pro necessarium, maximeque ad Iureconsultorum negotium pertinens argumentum Titulus hic promittit, tanquam is, qui de re saepissime in iudiciis Ecclesiasticis praecipue agitata pertractet, & dubia quam plurima pulcherrima illa qui-

dem proponat, ac diluat, in quorum gratiam ipsi Iureconsulti integros Titulos promulgarunt de frigidis, & maleficiatis inscriptos, sub quibus tamen eos omnes comprehendunt, qui quacunq; ex causa coire non possunt, etiam si neque ex frigidityte, neque ex maleficio id illis contingat, ut in sermonis processu videbimus. Cum ergo matrimonia in dies, & horas frequentissime contrahantur, palam est ad eorum validitatem requiri de necessitate coëundi potentiam. Abb. in cap. de illis lib. 2. num. 2. & 4. de despons. Impub. Scot. lib. 4. sent. dist. 34. quest. 1. adductus per Navarr. Consultorum lib. 4. cons. 39. num. 4. de sponsal. & lib. eod. cons. 3. num. 7. & seq. de frigid. & malef. Aug. Barbol. in Collect. Doctor. lib. 4. tit. 15. cap. 1. num. 4. Tom. 2. & cap. 2. num. 2. ibidem; unde regulariter coniugio ineptus est, qui 2 debitum reddere nequit. Navarr. cit. lib. 4. consil. 39. num. 1. Nec solum coëundi potentia sufficere videtur, sed potentia feminis quoque emittendi requiritur, ut idem Abb. in cap. Quod sedem. num. 5. de frig. & malef. idcirco ergo ubi horum utrumque 4 non adit, separatur matrimonium, ut per cap. Laudabilem. tit. eod. ubi Abb. num. 1. Grilland. de sord. leg. quest. 6. num. 14. Oinot. Instit. de Nupt. num. 220. Mascard. de Probation. concl. 311. num. 7. vol. 1. Ricc. Collect. decis. 222. par. 1. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 93. num. 15. Farinac. de delict. carn. quest. 143. §. Femina. num. 6.

Hinc patet multoties de sufficientia, aut insufficientia coëundi dubitari posse, quo in casu, ut in aliis multis, qui circa hanc materiam Iureconsultos exercent, Medici in iudices, tanquam periti adhibentur; qui autem sint in casu dubii, in processu quaestionis patebit: nam de singulis hic mentionem facere, nimis longum esset, & eadem bis absque ulla necessitate reiterarentur.

Quid vero sit impotentia coëundi, quid item impotentia generandi, clare patet ex ipsismet verbis, 6 illa namque vitium est vel naturale, vel accidentale, quo quis impeditur alteri carnaliter committere. Hostien. in summ. lib. 4. tit. de frig. & malef. §. 1. num. 1. Io. Brunell. de Spons. & Matrim. concl. 28. num. 2. coitus enim est applicatio maris & foeminae in membris generationis, qua superfluum expellitur quantum ad finem speciei, vel individui ordinata. Avic. 2. 2. 3. cap. 1. Baver. in cons. incipien. in nom. Individ. Trinit. Savon. in pract. magn. tract. 3. cap. 1. Impotentia autem generandi vitium item est naturale, vel accidentale, quo quis legitimo, vel naturali coitu utens inhabilis est ad sui similis generationem.

Tam coitus autem, quam generationis impotentia plures potest habere causas, & modo ex parte viri tantum provenire, modo ex parte mulieris tantum, modo vero ex parte utriusque. haec quam ratione investiganda sint, deinceps patebit, nunc autem ad causas utriusque impedimenti accedamus, breviter ac dilucide, quantum vires ferunt, & ad Iureconsultorum captum, omnia enodantes.

Primo ergo de coitus impotentia agentes ex parte viri sciendum, illam originem deducere vel ex parte sui ipsius, vel ex parte mulieris; sed quia causa ex parte mulieris ad causas extrinsecas reducuntur, dicamus cum DD. in d. Tit. de frig. & malef. Hofstien. ubi supra num. 2. Brunell. ibidem num. 3. & S. Sannazar. de matrim. cap. 3. art. 4. num. 6. & cum DD. nostris in suis practicis cap. de Impotentia 11 *venereorum. & de sterilitate*, Impotentiam coeundi vel ex causa esse connaturali, vel ex accidentali.

12 Naturalis causa vel ex parte totius est, vel ex partium vitio. si ex defectu totius sit, evenit quia frigidæ temperaturæ vir est, & ideo non stimulat, neque appetitum ad coeundum experitur, deficiente non modo semine in sui quantitate, sed peccante in qualitate. Si sit ex defectu partium, hoc esse potest vel ex vitio alicujus partis principis, Cordis nimirum, Hepatis, Cerebri, Testium, vel ex defectu partium genitalium; & hæc vel est ex culpa ipsius membri virilis, vel aliorum vasorum. si sit ex culpa penis id fit, quia vel nimis magnus, vel nimis parvus, vel quia obtortus, vel nimis longus, vel brevior quam oporteat. ex culpa Testium fit, si illi omnino desint, vel non seruent naturalem situm, vel sint nimis parvi, vel nimis magni; ex parte aliorum vasorum impotentia coeundi evenit, si illa sint male conformata, si naturalem situm non habeant, si sint obstructa.

13 Accidentalis porro causa vel intrinseca est, vel extrinseca. Intrinseca vel sunt humores superflui, calidi, frigidi, sicci, humidus, frigidi, refrigerando, partiumque calorem extinguendo, calidi eundem calorem, & spiritus dissipando, humidus illum obruendo, partes relaxando, virtutem obruendo, siccis præter modum exsiccano. vel ea est debilitas alicujus partis principis, aut earundem morbus aliquis, vel accidentalis genitalium partium ignavia, & in summa causæ pæne omnes, quæ à natura sunt, possunt ut plurimum etiam ab accidenti originem trahere.

15 Externa causa impediens coeundi potentiam in viro vel est ab aère, ut quia nimis excedit in activis præcipue qualitatibus; quamquam magis obstat viro videtur excedens caliditas, quam frigiditas, mulieri vero contra, quod ex Philosophorum sententia patet. Arist. lib. 4. problem. 16. & 24. & hoc innuere etiam voluit Heliodorus in lib. 11. oper. & dier. dicens:

Salacissima vero mulieres, & viri imbecillissimi sunt, quoniam caput, & genia Sirius exciscat.

insinuans, quod ob exuperantem siccitatem viri imbecilliores facti minus coitum appetant, contra mulieres sua natura humidiores sanguine acutiore per æstus, & siccitates abundant, unde etiam salaciores sunt.

16 Inter extrinsecas causas connumerari possunt Animi passiones vehementes; mirum enim est, quantopere in ea re operentur, unde Alex. Bened. *sue præf. lib. 24. cap. 12.* Scimus, inquit, quosdam cum in Venere conjugali essent vel promptiores, facta inter eos de re tristis mentione ita ab opere imperfecto solitos desurgere, ut veluti intermortuum languerent genitale membrum. quosdam in coitu fordidum auditum verbum de Venereo diverticulo deturbat, alios verecundia tenet, nonnullos metus ipse, tot modis suspenditur cum Animo coitus. hæc ille.

Et ego novi alios, qui in actu Veneris idem passii

sunt non semel aut bis, sed sæpissime ab ira, quod rixosus conjuges fortis, quosque concitans etiam coeuntes in pugnam verbosam venient, non amplius perferre quod inceperant quovis conatu possent.

Præterea desuetudo inter extrinsecas causas & ipsa est; quæ tantum potest, quod ut ex Vido Vidio juniore lib. 11. de curat. membr. cap. 2. refert Schench. *Obser. lib. 3. tit. de Testiculis*, quibusdam, qui à Venere per longum tempus abstinent, testes, & vasa spermatica contabescunt. Vfus item nonnullorum ciborum, aut medicamentorum ex his causis est, ambulatio nudis pedibus frequentata, equitatio, Hipp. de Atri. Aq. & loc. item maleficium, de quo in quæstione propria verba faciendæ sunt, & denique ab omnibus causis, quæ insigniter corpus alterare possunt, præcipue autem refrigerare, coitus impotentia provenire solet, qualis esset fluxus longus sanguinis immoderatus, extremæ omnes evacuationes, vulnera magna, validæ capitis percussiones, sectio venarum post aures; de qua Hippocrates peculiariter locutus dicebat, facere eam hominem sterilem. licet alii experti contrarium fuerint; nam Prospero Alpino lib. 2. de Medic. Ægypt. cap. 10. de quodam juvene Cophito mentionem habet, cui maxima sanguinis copia per eas venas detracta, nonnisi longum somnum excitavit, (ut evenire quoque ipsi Scythis dicebat idem Hippocr. de Atri. aq. & loc.) quo per tres dies detentus, ab eoque expergefactus, ac convalescens uxore ducta liberis procreavit. Alium tractavit virum D. Petrus Castellus mihi amicitia conjunctissimus, cui hirudinibus post aures applicitis, sanguis per tres continuos dies fluxit, ex qua causa perpetua surditate affectus est, uxore ducta, liberis non procreavit, sed ea defuncta, & secundis nuptiis potitus fecundus fuit, sed quicquid sit de hujus rei veritate, illud certum est, quod prædicta omnia corpus, ac præcipue genitales partes insigniter refrigerant, ac debilitant, & feminis materiam absciunt. sed & inter easdem causas 17 de foris advenientes venit ipsa mulier; nam ex ipsius quoque culpa quandoque impeditur coitus in viro, ut si sit nimis deformis, adeo enim à coitu alienum hominem deformitas reddere consuevit, ut jure dixerint nonnulli DD. gravius peccatum esse coire cum deformi, quam cum formosa. Tiraquo de leg. Connub. par. 2. leg. 2. num. 12. Cabal. *Resolut. Crimin. cen. 3. cap. 244. num. 22.* pulchritudo enim, inquam ego, est incitamentum ad libidinem, unde quidam, ut ex Alberto refert Sanchez. de matrim. lib. 7. disp. 92. num. 13. calore naturali ad coitum destituti, à femine interdum formositate excitati ad coitum perfecte moventur, itaque deficiente tali stimulo in deformi, homo se ipsum tentare videtur, & ea de re gravius peccare dicitur.

Potest insuper mulier in causa esse, ut vir minime coire possit, si terrum odorem spiret, si munditiis minus studeat, si maritus sentiat se ab ea contentum, & ab eo averso esse animo. & hæc sunt omnes, aut insigniores saltem causæ, quæ coitus impotentiam in viro excitare possunt, quarum omnium idcirco hic meminisse operæ pretium est, ut sciamus quenam amoveri aliquo modo possint, quæ non hoc enim plurimi Iureconsultorum interest scire, cum ubi Impotentia coitus ope Medica reparari possit, matrimonium non dirimatur, contra vero ubi sit irreparabilis. cap. ex litteris de frig. & malef. & cap. fraternitatis. §. x. in fin. tit. eodem. Brunell. de Sponsal. & Matrim.

Maarim. concl. 28. num. 18. Navarr. lib. 4. Consi. 39. num. 14. de Sponsal. Barbof. in Collectan. doct. lib. 4. tit. 15. cap. 6. num. 3. Tom. 2. ex nostris Augen. lib. 10. Epist. Med. conf. 2. cap. 4.

Cum autem tot ac tantæ sint causæ, quæ coitus potentiam in viris impediunt, una tantum est, quæ illam in foemina interceptat, nempe clausura, arctatio, seu angustia oris externi, & cervicis ipsius uteri, ut bene adnotatur in cap. Fraternitatis. §. 2. ubi proxime, & per Io. Andr. in cap. Laudabilem. ibid. & ex nostris per Silvatic. in lib. de his qui morb. simul. cap. 7. sed ejus rei causam commodiori loco perquiremus.

Cæterum impotentia generandi (de qua hic ob argumenti affinitatem disserere decrevi) habet & ipsa plures causas & intrinsecas, & extrinsecas & præter eas, quas jam commemoravimus, & quæ cum coitum impediunt, generationi etiam absque dubio contrariæ sunt (cum generandi spes ex coitu habeatur. l. finali. C. de Spons. Malvalia Cons. 22. num. 1. nam coitus à natura ipsa in generationem, & Speciei propagationem inventus est. Savonar. tract. 6. cap. 20. rubr. 27.) aliæ insuper considerantur magis peculiariter respectivæ ad nobilium partium intemperies, & præcipue genitalium, aliæ respectivæ ad ipsum semen, quod vel justo calidius, aut frigidus existat, sic etiam, & humidius, aut siccus; quam quod ad generationem requiritur; & hæc quidem ex parte viri; nam ex parte Mulieris propemodum infinitæ causæ sunt, quæ considerari possunt, tam nobilium ac principum partium vitia, & intemperies, & præcipue genitalium, quam menstrui sanguinis qualitatem, quantitatem, exitum, aliaque respicientes, & ipsum semen, quod ut in viris, sic & in mulieribus peccare multipliciter potest.

Neque solum juxta hæc considerantur hæc causæ, sed etiam juxta malam partium genitalium conformationem, & situm, & juxta tam naturales, quam accidentales ipsius uteri morbos, & tam totius, quam partium culpas.

28 Denique aliæ causæ sunt ex parte utriusque, quæ omnino generationi obsunt, ut disconvenientia temperamentorum, quia nimis ab invicem distant, aut etiam eorundem nimia convenientia, quemadmodum si uterque conjugum calidissimo dotetur temperamento, aut contra viri calidissimo, mulier frigidissimo; debet enim in hoc esse quidem convenientia quadam, non tamen exuperans, & quædam item contrarietas, aut dissidentia, sed non magna, ut Arist. 4. de Gener. Anim. cap. 2. & Galen. comm. 5. Aphor. 62. docent. Præterea impediunt generationem similes & odia inter Conjuges, coitus etiam aut nimis frequentatus, aut nimis de raro in usum convocatus. Facit & ad idem impedimentum modus coeundi, seu forma concubitus, ut incidenter habetur inferius.

30 Ultra prædicta vero sciendum, impedire etiam generationem nimiam femine agitationem in coitu, præcipue in ipso actu emissionis seminum, quod etiam Lucretius adnotavit lib. 4. de Rer. Nat. dicens:

Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat, Cluibus ipsa viri Venerem si læta retrahet, Atque exollato ciet omni pectore fluctus. Escit enim sulci recta regione, viaque Vomem, atque locis averit seminis istum: Idque sua causa consuevit scorta moveri, Ne compleverit crebro, gravidæque jacerent,

Et simul ipsa viris Venus in concinnior esse: Conjugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Sed & seminum expulso non eodem tempore ab utroque conjugum facta idem impedimentum præstare solet, ut mille quoque alia conditiones, quarum omnium plenissime meminere Medici, præsertim de Gynæcijs tractantes, & de quibus etiam Lucretius lib. 4. supra cit. cujus quamplura carmina ad hoc recitant multi prædictorum Medicorum, & præcipue Mercurialis lib. 1. de morb. mul. apud quem & hæc; & causas supradictas copiosissime annumeratas videre poteris; quas etiam si tam exquisitè cognoscere superfluum videatur pro Iureconsultis, tamen eas enarrare & considerare oportet, ne fortasse, quod facile eventu esset, culpa sterilitatis in alias causas, quam quæ vere eam faciunt, rejiciatur, & leviori non considerata, graviolem immerito Medicus causetur, aut frustra investiget.

S V M M A R I V M.

1. *Aliæ est inter causas impediens coitum, & generationem.*
2. *Coeundi potentia, seu impotentia, non potest certo numerum præfieri.*
3. *Duodecimus annus recte assignatur pro termino impotentia coeundi in viro præsertim.*
4. *Duodecimo anno vir semen non emittit.*
5. *Hereticæ, & casus quædam.*
6. *Coeundi potentia præcedit potentiam generandi.*
7. *Impotentia coeundi ob ætatem minorem impedit matrimonium contrahi.*
8. *Matrimonium contrahi potest, quandoquæ ad sit coeundi potentia.*
9. *Ad Matrimonium contrahendum sufficit, ut succedere possit copula carnalis. contrarium num. 11. declaratur in num. 12.*
10. *Frigidi illi qui arrugunt, sed semen non emittunt, non possunt matrimonium contrahere.*
11. *Eunuchi prohibentur à contrahendo matrimonio.*
12. *Siculi alii citius, alii vero serius coire incipiunt, sic etiam in aliis citius, in aliis autem serius coeundi potentia recedit.*
13. *Terminus communis, in quo terminatur coeundi potentia, est annus septuagesimus.*
14. *Impotentia coeundi præsumi debet transacto anno septuagesimo.*
15. *Femine Decreptis viris matrimonio junctæ, Viduæ nuptæ dicuntur.*
16. *Generandi potentia serius, quam potentia coeundi advenit, maturus autem absolvitur.*
17. *Pubertati proximi non possunt generare.*
18. *Potentia generandi advenit 15 anno ut plurimum.*
19. *Femine cum purgantur, aptæ generationi sunt.*
20. *Facilis est, mulierem in ætate habili mensuram desitutam concipere, quam quæ ob grandioræm jam ætatem non menstruat.*
21. *Menstruorum desitio faceret præsumptionem aliquam suppositionis partus etiam in muliere, quæ esset in ætate habili ad generandum.*
22. *In ætate grandiori menstruum cæntia faceret maximam probationem suppositionis partus.*
23. *Impotentia generandi in viris, ex quorum culpa eveniat respicitur ætatis.*
24. *Potentia generandi præsumenda pæne cum, qui minoræ habet impedimenta.*

una peccante, cæteræ quoque ejus vitio participant, ubi ad alteriora tendat prioris partis operatio; aut esse potest nimis calida absumens ipsos spiritus; sic & ipsa genitalia eadem intemperies exercere possunt, ut si sit frigida, semen non generent, aut crudum, & paucissimi spiritus, quod neque Naturam irritare valeat ad sui expulsionem, & quod multo minus generationi inserviat; aut si sit nimis calida, & ipsos spiritus, ex quibus semen virtutem omnem habet, omnino dissipet; adeo obfunt generationi ejusmodi intemperies, indicio ejus rei sit, quod mero se ingurgitantes, eoque calorem Hepatis adaugentes infœcundi sunt, contra vero Abstemii, quod aquæ potu frigidam temperaturam semini concient, infœcundi & ipsi ut plurimum sunt, quamquam Tiraquellus, cum Abstemius esset, triginta tamen liberos ex legitimis nuptiis suscepit. Kornman. *de mirac. viror. tit. de parent. mult. liber. habent.* Sed & de cæteris intemperiebus simplicibus, humida nimirum & sicca idem evenire potest, sicca quippe generationem feminis aut omnino impediens, aut ejus substantiam labefactante; humida ipsum semen fluidum ultra modum faciente, omnem ejus sensum in transitu obrundendo, ejusque spiritus obruente ac suffocante, in superque vasa relaxante, & retentricem in feminis, expultricem vero in maribus mirum in modum lædente. Quod item de simplicibus intemperiebus dictum est, de compositis quoque intelligendum, de quibus jam ulterius non dicam, ut quamprimum ad id, quod pro Iureconsultis facit, me conferam; illud est, quænam horum vitiorum emendabilia, quæ non; quæ difficulter, quæ non cum magna difficultate lanari possint. Itaque sciendum ipsis Iureconsultis omnia naturalia vitia maxime curatu difficilia esse, & ut plurimum insanabilia, alia tamen aliis insanabilia: 7 nam ut magna sunt, aut parva; si magna, absolute dicendum, nulla arte, nullique prædiis emendari posse, cujuscunque tandem generis existant. advertendum autem, vitii magnitudinem exstimandam esse respectu multarum rerum; nam & partis essentia, & ipsa vitii natura, & partium situs, & patientis ætas, & mille alia in considerationem convocanda; ad cujus rei pleniorum cognitionem revocari in mentem possunt ea, quæ retuli de morbi gravitate & levitate, libro 2. *harum quæst. tit. 3. quæst. 4. a num. 14. ad plures seqq.* præcipue autem consideranda in decidendo, an vitium emendabile sit, nec ne, ætas; in ætate enim teneriori vitia quædam magis emendabilia, contra ubi jam ipsa ætas membra duraverit, omnia insanabilia. dehinc consideranda partis ipsius Natura, quippe cum genitales partes, & hepar, aut ut uno verbo dicam, naturales omnes partes respectu vitalium, & animalium possint facilius alterationem pati, & ex consequenti facilius ad contrarium statum reduci; minus enim periculi impendit ex harum partium alteratione ad contrariam temperiem, quam ex alteratione Cordis, aut Cerebri, præterquam quod difficilior tractantur hæc, quam illa ad requisitam crasim.

11 Cæterum si vitia naturalia parva existant, ea vel sunt apparentia, vel non; apparentia facilius videntur tolli posse, ut si ob frantum glandi substratum penis obtortus existat, si detegi glans ob præputii angustiam non possit, si uterus non naturali panniculo, sed tenui obducatur ingressum Peni impediens, & cætera ad hunc modum; hæc namque facillimo negotio emendantur, sed inter hæc ipsa vi-

tia apparentia, quæ parva sunt, alia aliis curatu sunt 12 difficiliora: nam quæ in figura consistunt, & in situ mutato facilius curantur, ut si Penis obtortus ob ligamentum glandi substratum sit, si testes in inguinibus appendantur ante pubertatem, si uterus a loco suo modice deviet, aut os tantisper distortum habeat. at quæ in quantitate utpote in magnitudine, & in parvitate difficilior, aut nullo modo, in maribus præsertim, curantur, nam in feminis ob partis ipsius naturam, quæ apta nata est dilatari, & contringi, promptius laxitas, & angustia utri emendari possunt.

S V M M A R I V M.

- 1 Multi sunt morbi, qui coitum, & generationem in homine impediunt. & vide num. 7.
- 2 Morbus regulariter reddit hominem impotentem ad generandum. & num. 11.
- 3 Morbus res est præter naturam.
- 4 Coitus à natura in generationem inveniens.
- 5 Ex coitu tota spes generandi habetur.
- 6 Coitus non præsumitur in valeretinario.
- 8 Morbi nonnulli hominem promorem ad Venerem faciunt.
- 9 Non est absurdum, quod morbus aliqui reddat hominem aptiorem ad generandum.
- 10 Glosa notatur in l. Gallus. ff. de liber. & Posth. defenditur num. 13.
- 12 Quilibet morbus interficiens est magnus.
- 14 Diem conceptionis Posthumi à die mortis viri computandum, limitatione eget.
- 15 Morbus impediens coitum, impedit etiam generationem.
- 16 Febres ardentes omnes, & alia non abstrusiles, & lethales, & acuti omnes morbi impediunt coitum & generationem.
- 17 Generandi impotentia à morbo contraria dicitur etiam in convalescentia.
- 18 Morbi omnes partium genitalium ut plurimum impediunt generationem.
- 19 Morbi qui intemperie partium principum consistunt, generationem impediunt.
- 20 Morbi lægi, & generandi, & coeundi potentiam adimere solent.
- 21 Menstruorum quodcumque vitium conceptionem in femina impedit.
- 22 Notabile vitium menstruorum faceret aliquam præsumptionem impotentie generandi.

De Impotentia ex morbis.

Q V Æ S T I O I V.

Infinite propemodum morbi sunt, ex quibus coitus in viris, & generandi potentia tam in viris, quam in feminis impeditur, aut ex toto abscindi potest, de quibus omnibus & singulis si agere statueremus, ingens volumen huic tantummodo negotio dicere cogeremur; at quia hoc non modo gratum Lectoribus minime futurum esset, sed eos summo tædio afficeret, neque si gratum esset futurum, expeditur, breviter eos morbos per conclusiones quasdam universales percurreremus, qui utramque impotentiam aut excitare, aut fovere possunt, ut notum dehinc fiat, quosiam eorum morborum emendationem aliquam accepturos, aut nullam in posterum sperandum sit.

Ante

Ante omnia ergo Iureconsulti generaliter loquendo eam conclusionem firmanunt: Morbum reddere hominem impotentem ad generationem, ut per l. filium cum definitis. ff. de bis. qui sunt sui vel alien. iur. & per l. si pater. §. fin. ff. de Adopt. & Arrag. & per DD. adductos per Surd. decis. 83. n. 3. hoc autem summa cum ratione, & prudenti consilio ab ipsis definitum esse censendum est, cum enim morbus res sit præternaturam, ipsique Naturæ de directo contraria, absque ullo dubio ejus omnes operationes aut destruat, aut debilitat, aut depravat; eas autem primam, ac præcipue, quæ vividiorum, & magis vegetam virtutem, & meliorem Eucratiam, & constitutionem animantis requirunt, inter quas præcipua est generatio, in qua naturalis alterum sibi simile ex se ipso progignens, Naturæ genio lummo perè indulget, quæ per tale operationem suas species, & in ipsis, & cum ipsis se ipsam conservat, sed non modo ut plurimum morbus impedit generationem, verum etiam ipsum Veneris usum, per quem generatio fit, cum ad eum finem sit à Natura inventus, ut alias ex Savonarola in præf. magn. tract. 6. cap. 20. §. rubr. 27. dixi, unde ex eo tota generandi spes habetur. l. final. C. de Spons. & arr. Malouf. Conf. 22. n. 1. & hinc est, quod alias apud ipsos Iureconsultos, non præsumitur coitus in valeretinario per ea, quæ adducit Mascard. de Præsumpt. concl. 312. num. 16. vol. 1. Thom. Ad. de Infirm. p. 1. cap. 19. num. 17. ex Abb. in c. tener. extra de iudic. & ex nostris Codronch. in meth. testif. cap. 10. multo minus ergo præsumi debet in eo, qui morbo aliquo adhuc detinetur, cum in peiori multo statum sit ægrotans ex aliquo morbo, quam cum ex eo reconvaluerit. coitus enim, & infirmitas se non comparantur, ut notat Rota in Cremonen. Pension. decis. 519. num. 7. inter recoll. per Farinac. par. 2. Tom. 1.

Adnotandum tamen, quod quamquam ea, quæ hæctenus dicta fuerunt, generaliter loquendo veritatem habent, non tamen ita promiscue accipienda sunt, ut de quibuslibet morbis prolata intelligantur; non nonnulli quoque ex morbis sunt, qui hominem promorem, & potentorem ad Venerem faciunt, omissis enim pro nunc Satyriaci & Priapismo, passionibus nempe, in quibus homo effrenato, licet involuntario coitus desiderio, flagrat, alii morbi sunt, qui genitales partes calcificantes, hominem ad Venerem proritant, ut esset calculus renum, aut vesicæ; vidi enim tales laborantes, dum adhuc summis doloribus cruciarentur, in Venerem accendi, quamquam in his morbis tentigo fiat involuntaria, sed alii ex morbis sunt, qui ex sua Natura idem præstant, ut est podagra, de qua inter Iureconsultos Farinac. de Falsitate, & simulatione, & ex Medicis Levin. Lemn. de Occult. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 45. sed neque absurdum esset affirmare, posse morbum aliquem reddere aptiorem hominem ad generandum, cum hoc experientia constat; nam aliqui, qui frigida alicujus partis principis intemperie laborabant, aut ipsammet genitalium partium frigida item dyscrasia, vel è contra nimis calida, ob cujus vitium erant ad generandum impotentes, in contrariam dyscrasiam lapsi, ut priores in ardentem febrem, posteriores in frigidum aliquem morbum, fœcundi in posterum effecti sunt. Narrat de se ipso Avenz. sui Theistr. tract. 3. cap. 1. quod cum esset ulus regimine latis calido in juvenute generare non poterat. accidit autem ipsium causone, hoc est ardenti febre laborare, unde cum ulus esset ob id contraria

Liber III.

victus ratione, dehinc fœcundus effectus est; alii tamen ex sola morbi natura fœcundi evaserunt, cujus rei sunt multæ experientie, inter quas eam in medium afferam, quam retuli mihi D. Iulius Filippellus Eugubinus, Medicus Romanus, vir omni laude dignus, virtute, & morum probitate insignis: Erat Eugubii artifex quidam, qui cum uxore viginquatuor annis infœcundus omnino vixerat. hic acutissimo morbo oppressus, cum ab eo reconvaluit, ex eadem uxore filium suscepit, & in posterum fœcundus fuit.

Vtraque ergo Iureconsultorum conclusio, quod morbus nimirum, & valetudo coitum, & generationem impediunt, est in pluribus, & secundum plurimum pro vera acceptanda. sed unde, obsecro, adducta est Glos. in l. Gallus. ff. de lib. & Posth. in verb. decem mensibus, in hærendo textui, ut diceret, hominem generare posse etiam ea nocte, qua moriturus est? nam idcirco ab ipsa die mortis computari voluit decem menses ad effectum, ut posthumus credatur filius legitimus morientis, & tanquam verus hæres illi succedere possit in bonis; jam enim patet, morbum reddere hominem impotentem ad generandum regulariter, quid autem si morbus magnus sit? profecto tanto magis de tali impotentia præsumendum; quoniam igitur pacto fieri potest, ut homo magno morbo detentus, (nam profecto licet inter ipsos morbos, qui interficiunt, unus sit major altero, simpliciter tamen loquendo, quilibet morbus interficiens est magnus) & ab eo jam totaliter oppressus, mortique vicinus generare possit? quomodo ergo Glosæ dictum est accipiendum? ego quidem responderem, non hoc voluisse Glosam, ut in quolibet morbo constitutus homo, & quodcumque præsumatur etiam morti vicinus generare posse, sed voluisse tantummodo, posse dari hujusmodi casus in quo homo ea ipsa nocte, qua moriturus est, possit generare. sed cur semper, inquires, vult computari in posthumo ipsos decem menses à die mortis? an ob id, ne uni ob alterum injuria fiat? quia cum dari possit is casus, ut quis uxorem suam cognoscens, illico aliquo repentino morbo, vel Apoplexia, Syncope, acutissima squinantia, in consimili moriatur, & tamen mulier ex eo congressu concipiat, ne huic ob alios casus injuria inferatur, dicitur in omnibus debere computari dies conceptionis Posthumi à die mortis. Verumenimvero hanc regulam multis ege limitationibus, ipsis Iureconsultis credo sit exploratissimum. præ omnibus tamen dicerem, in quocumque casu debere considerari genus morbi, ex quo homo decesserit: quoniam enim modo vis hominem acuta, & pestilenti febre per sex, aut plures dies detentum, ea nocte, qua moriturus est, Venerem exercere, & quod multo majus quid est, semen effundere ad generationem aptum? sed his omissis, & ad eam conclusionem redeuntes, quæ firmat hominem à morbo reddi impotentem ad coeundum, unde multo magis ad generandum, certum est, esse ex morbis qui magis, aut minus id ipsum efficiant, itaque has conclusiones ponamus.

Quarum prima sit, Omnis morbus impediens coitum, ita ut conjungi marem, & feminam per genitalia membra non patiat, simul etiam omnino generationem impedit, cum quasi pro impossibili sit, immo ex mea sententia penitus impossibile, mulierem absque ea perfecta conjunctione

ij. M

conci-

concipere. dixi autem, quasi impossibile, ob ea quæ loco subdam infra quæst. 8.

16 Secunda conclusio. Omnes febres ardentes, acuta, colliquativa, syncopales, malignæ, pestilentes, hincque non absimiles, morbi insuper omnes quicunque acuti censentur, id proprium habent, ut & coitum, & multo magis generationem omni ex parte, & undequaque impediunt, quamdiu vigent; licet ea impotentia ipsis recedentibus ut plurimum recedat, non tamen utraque eodem tempore: nam convalescentes tantisper ad coitum sufficiunt, licet ex eo summopere lædantur, indicio sit, plerumque eos involuntarie in somnis semen effundere, quod Amatus Lusitanus in suis Curationibus Medicinalibus sigillum sanitatis esse dicebat; nam quemadmodum vigente morbo spirituum maxima, & indefinens jactura fit, præcipue si morbus acutus, aut malignus extiterit, sic ubi Natura prævaluerit, denuo optimi sanguinis generatio fit, ex quo seminis omnis materia deciditur; at impotentia generandi non modo ut plurimum perdurare solet per totam convalescentiam, sed quandoque etiam ex magnis, & acutissimis morbis per totum vitæ curriculum.

18 Tertia conclusio. Morbi omnes partium genitalium, aut etiam circumjacentium generandi impedimentum præstant, non tamen omnes impedimentum afferunt in coeundo. patet præcipue in gonorrhœa, & seminis profluvio, quibus durantibus homo nunquam generat, coire tamen bene potest, immo ex his affectibus interdum ad coitum urgentioribus stimulis excitatur. Cum Gonorrhœam autem dico, & seminis profluvium, de vera gonorrhœa & seminis profluvio intelligo, non de pseudo-gonorrhœa, qualis fieri plerumque solet ex contagio Gallico, cum hac enim videmus permultos indies filios procreare, tam maritos, inquam, quam uxores.

19 Quarta conclusio. Omnes morbi, qui partium principum crâsim, seu temperiem deviant, impediunt semper generationem, aliquando etiam coitum; tales essent Marasmus, Hæctica, Cachexia, Hydrops, & his non absimiles; patet quia tam ad coitum, quam ad generationem omnium principum partium virtutes concurrunt, quarum unica male affecta, necesse est inde consequentes actus impediri, sed quamvis prædicti morbi difficiles sint ad sanandum, non est tamen impossibile, hominem ex illis evadere, & ad naturalem statum reverti, unde etiam in posterum utraque impotentia in illo recedat.

20 Quinta conclusio. Morbi omnes longi, & inveterati utramque impotentiam, sed præcipue generativam conciliant; patet quia ex talibus morbis singulæ corporis partes per se, præsertim vero principes intemperata evadunt, ipsamque sanguinem, & consequenter ipsum semen summopere vitiant, quod ita accipiendum, ut tales morbi sint alicujus momenti, non vero leves, ut esset levis quartana, aut febricula ex obstructionibus dependens, aut alius similis morbus; cum his enim, etiam si longi, & pertinaces essent, non impossibile esset, hominem generare.

21 Sexta conclusio. Menstruorum quodcumque insigne vitium, sive in excessu, sive in defectu, sive in qualitate mala consistat, potest in foeminis conceptionem impedire. hæc conclusio Medicis est acceptissima, & alia probatione non indiget; sed ad-

notandum quod vitium qualecumque insigne menstruorum faceret quidem aliquam præsumptionem, & conjecturam impotentie generandi in ea, contra quam ageretur de suppositione partus; non tamen conjectura illa per se esset magni momenti, quia non est impossibile, mensuris qualitate mala dotatis, aut deficientibus, aut excedentibus ultra naturalem modum, foeminam concipere, sed hæc præsumptio aliis associata non esset contemnenda. circa defectum tamen menstruorum revocanda in mentem sunt ea, quæ superiori quæstione annuebam, videndumque, num defectus sit ob majorem ætatem, vel ob humorum, & corporis vitium, cum in uno casu facilius, quam in alio sit foeminam concipere.

S V M M A R I V M.

- 1 Frigiditas dicitur.
- 2 Frigiditas à Natura esse potest, & à morbo.
- 3 Maleficiati qui.
- 4 Differentia prima inter Maleficiatum, & Frigidum, reprobatum num. seq.
- 6 Maleficiati possunt quoad omnes feminas maleficiari.
- 7 Secunda differentia inter Frigidum, & maleficiatum, reprobatum ibid.
- 8 Frigiditas nonnulli Veneream exerceri, sed semen effundere non possunt.
- 9 Frigidorum plures differentie.
- 10 Impotentia nonnulli antequam ad opus perveniant semen effundunt.
- 11 Frigiditas dici non potest, qui aliquo modo polluitur, declaratur ut num. seq. & num. 16.
- 13 In Colicæ resolutione impeditur tum erectio ipsius, tum etiam seminis excretio.
- 14 Frigiditas inter se multum differre rationi consentium.
- 15 Tertia differentia inter Frigidum, & maleficiatum, reprobatum ibid.
- 17 Frigidum à maleficiato distinguere operosum est.
- 18 Frigiditas nonnulli pro Frigiditate judicari certo possunt, maleficiati vero nullo pro certo maleficiati.
- 19 Frigiditas à maleficiato quomodo distingui possit.
- 20 Frigiditas probatur ex Inveconfulis per corporis aspectum, declaratur ut num. seq.
- 22 Frigiditatis signa.
- 23 In Frigiditate nunquam erigi membrum, falsum.
- 24 Animal stimulat ad coitum ex seminis urgentia.
- 25 Testes in seminis generatione principatum obveniunt.
- 26 Spadones, quibus superior testicularum pars in scitio-ne relicta est, generare possunt.
- 27 Signis manifestis Frigiditatis præsentibus, non est de maleficio dubitandum.
- 28 Coeuntes, sed semen non emittentes, aut in parva quantitate, & nullius considerationis, an matrimonium contrahere possint.
- 29 Coitus alio tendit ad ulteriorem finem.
- 30 Mulier potest à viro corrumpi, & tamen matrimonium non tenere ex capite impotentie.
- 31 Frigiditas non cadit in mulieres ex Inveconfulis.
- 32 Mulier semper ad coitum prompta est, quantum est ex parte sui.
- 33 Frigiditas passioni obstruere non videtur.
- 34 Mulier non secus ac vir Frigida esse potest.
- 35 Frigida mulieres, que dicenda.
- 36 Per que signa probatur Frigiditas in muliere.
- 37 Naturalis Frigiditas est irreparabilis.
- 38 Magnæ causæ que.
- 39 Scitio vinarum existentium post aures cum sterilitatem faciat.

- 40 Frigiditate naturæ probata, illico matrimonium dirimitur, non expectato triennio.
- 41 De particularibus non datur scientia.
- 42 Viri solum ex maleficio fiunt ad coitum impotentes.
- 43 In dubio, num viri potius Frigidus sit, quam maleficiatus, præsumptio debet esse Frigiditatis.
- 44 Præsumptio semper est ex parte causæ, que magis est prompta ad agendum.
- 45 Viri cur frequentius, quam mulier maleficio tenentur.
- 46 Modi, quibus Dæmon impotentes viros reddit ad coitum.
- 47 Maleficio duplex.
- 48 Medicamenta quædam coitus impotentiam faciunt.
- 49 Maleficio supernaturale quibus modis procuratur.
- 50 Maleficio verbis, sigillis, figuris, visu, & hujusmodi aliis rebus procurari non potest.
- 51 Media, quibus maleficiati à Dæmone ligantur.
- 52 Arnaldus, Conciliator, & Cardanus notantur.
- 53 Veneficium non fit absque Dæmonis opera.
- 54 Signa maleficiati remissive.
- 55 Naturale maleficio remedium non caret.
- 56 Supernaturale maleficio naturalibus remediis curari non potest.
- 57 Maleficio supernaturale nullus curare potest, nisi sit Dæmonis artis peritus.
- 58 Ex animi passione nonnulli redduntur ad coitum impotentes.
- 59 Præsumptio impotentie coeundi potest haberi in eo, qui intente odii, vel amat intense uxorem.
- 60 Impotentia consurgens ex odio, aut amore effrenati, tempore evanescit.
- 61 Amor tempore effervescit, odium ejusdem beneficio mitescit.
- 62 Confectio concinnat Amorem.

De Frigidis, & Maleficiatis.

Q V A S T I O V.

1 Frigiditas dicitur, qui in ætate habili ad veneream exercendam omnino sunt inepti: neque enim Pueri ante quam ad pubertatem accedant, eo quod inepti ad coitum sunt, frigidis dicuntur; neque item frigidis proprie dicendi mei sententia essent decrepiti, etiam si vere ob frigiditatem, vel potius ob nativi caloris depauperationem coitum exercere non possint, sed lato tantum modo potest & ipsis frigidus nomen aptari, licet contrarium sentiat Augustinus, lib. 10. conf. & Epist. Medic. cap. 2. cap. 7.

2 Sed hoc vitium potest & à Natura esse, & à morbo, quia ea intemperies frigida feu partium sit, seu totius, ab utero aliquando contrahitur, interdum etiam ab accidenti superadvenit. ii vero, qui à Natura hujusmodi vitium patiuntur, nunquam, aut de raro admodum, usum venereorum experiuntur, qui autem à morbo, aut alia quavis accidentali causa, ante ejus quidem causæ accessum erant, ut cæteri homines, ad coitum potentes, mox ab ejus adventu ad eum inepti facti in posterum sunt, ut Scythis ob assiduam equitationem evenire tradebat Hippocritus, lib. de Aer. Ag. & loc.

3 Maleficiati porro sunt, qui vel ob malorum medicamentorum applicationem per se, vel arte, & Dæmonis auxilio adjuncto, redduntur ad Veneream impotentes, vel alia quavis noxa afficiuntur. Sed nobis pro nunc de prioribus tantum differendum.

nis, cap. 7. & inter Iureconsultos Capella Tolosana, quæst. 35. nu. 1. & adducti per August. Barbof. col. lect. DD. lib. 4. tit. 15. cap. ult. nu. 10. Tom. 2. distinguentes inter frigidum, & maleficiatum, dicebant frigidum non posse cum aliqua muliere coitum exercere, maleficiatum cum omnibus posse, præterquam cum una. Sed hæc differentia non est semper vera, nec generica, complectens omnes, qui ad coitum non sunt apti ob frigiditatem, aut maleficiatum, & inter hos, aut illos enumerandi; quia ex maleficiatis etiam nonnulli sunt, & esse possunt quoad omnes mulieres maleficiati, ita ut ad nullam omnino arrigant, quin & alii ex eis sunt, & esse possunt, qui ad nullas arrigant præterquam ad unam, ut ex ipso Cardano patet.

Neque etiam vera est altera differentia allata ab eadem Capella Tolosana, ibid. nu. 2. & à Barbof. ibid. nu. 11. quod nimirum frigidus à maleficiato differat, quia frigidus virgam non erigit, maleficiatus maxime, sed cum ad opus appropinquat, membrum flaccescit, ac desinit, ut ut coire non possit, non est inquam vera, neque universalis hæc differentia, quia nonnulli ex frigidis sunt, qui non solum arrigunt, sed etiam veneream utcumque exercent, sed semen non possunt effundere; frigidorum enim, teste Cardano ubi supra, plures sunt differentie, aliquibus enim Penis nullo modo arrigitur, aliis arrigitur quidem, sed cum paululum pertractatur, elanguescit; nonnulli sunt, quibus ulque ad opus in erectione perdurat, immitti tamen in uterum non potest, præsertim si prægrandis sit, & vas femineum angustius; alii sunt, ut dixi, qui veneream quidem exercent, arrectum membrum in uterum impingendo, sed semen, quantumcumque laborent, nullo modo emittere possunt, & de his mentionem quoque habet inter Iureconsultos, seu Canonistas Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 93. nu. 7. & ex nostris Constantinus, ex quo Bayer. conf. incipit. In nom. Individ. Trinit. in 1. concl. quod licet de raro contingat, ut ipse Cardanus ibidem testatur, apud Aetium tamen Terrabil. form. 3. cap. ult. is casus narratur, & alias non dissimiles historias videre licet apud Schenck. lib. 4. Observat. sit. de coitu, immo plures hoc vitio laborantes testatur, se vidisse Petrus Forest. Observat. sua. lib. 28. obs. 18. in schol. & concedit etiam Mercat. de sterilit. & prægn. aff. lib. 3. c. 3. Connumerat quoque inter frigidos Cardanus eos, quiantè quam ad opus perveniant, semen effundunt, de quibus etiam ex Canonistas Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 92. nu. 8. quod si tales inter frigidos connumerandi sunt, falsa omnino erit illorum sententia, quam referebat idem Sanchez ibid. disp. 94. nu. 5. qui voluerunt non esse frigidum illum, qui aliquo modo polluitur, cujus opinionis videtur inter Medicos Augustinus, qui lib. 10. conf. & Epist. Medic. cap. 7. Tom. 2. frigidus eos tantum dici vult, qui semen non generant, ego quidem hanc sententiam licet non omnino approbandam, tamen neque undequaque repugnandam censeo. nam eos qui arrigunt, & semen effundunt antequam ad opus perveniant, improprissime frigidus vocari dixerim, immo promptius eos calidos & salaces, quam frigidus vocaverim, cum ex nimia caliditate, & seminis ipsius acrimonia ac pruritu id evenire possit, quamquam etiam ex fervore amoris, & acutioribus veneris stimulis id ipsum possit contingere.

Sed quod nullas, qui semen quoquo modo effundat, reponi debeat inter frigidos, mihi absolute non probatur, sunt enim nonnulli, ut Bayer. ex ij. M. 2. Constant.